



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

Luxemburgi, 1740

Ad Lectorem Benevolum Bibliopolæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74733)



AD LECTOREM BENEVOLUM BIBLIOPOLÆ.



ACTENUS emissas à Summis Pontificibus Constitutiones, Bullasque omnes, eâ, quâ par fuit, curâ, promissâque fide, typis mandavimus, Amice Lector, nostramque in Editione MAGNI BULLARII, promulgato hujus Decimo-quarto Volumine, operam esse exhaustam putabamus, & ecce nova laboris ex ante-actô labore ratio exurgit.

Editor quippè Romanus, cùm ultimo suo *Bullarii Romani* Tomo, eas duntaxat, uti in anteriori declarat, quam ad amplissimum Cardinalem CORSINIUM scripsit, Epistolâ, Constitutiones Apostolicas complexus sit, quas primis quatuor Pontificii Regiminis sui annis edixit CLEMENS XII. quem magno Ecclesiæ bono & propriæ ipsius gloriæ incremento DEUS OPT. MAX. diu præstitit incolumem; supersunt adhuc ejusdem Summi Pontificis Constitutiones, & numero benè multæ, & ob ingruentium quotidie negotiorum momenta graves, quas se editurum quam primùm idem promittit Librarius: istæ autem, ubi in lucem prodierint, Decimo-quinto Magni nostri Bullarii Volumini materiam suppeditabunt.

Verùm, quia ultimæ Constitutiones istæ ad convenientem forsàn Tomi amplitudinem non satis erunt, iis supplebunt Bullæ in superioribus Tomis, si quæ sint, omissæ, aut etiam in Editione Romana ob quamlibet causam suppressæ. Id ipsum tamen pro certo habeas, Lector Amice, non in his ultimis promulgandis, non quidquam esse immutatu-
ros, aut depravatu-
ros, sed omnes à nobis accuratè ac fideliter fore transcribendas, ex autographis è Romanâ Cancellariâ depromptis, aut aliundè, uti jam antea fecimus, non sine magno nostro sumtu conquisitis.

Ea te monitum esse volumus tanquam certum diligentia, fideique nostræ testimonium, simulque studii, quo sumus incensi, ne quid in operibus nostris desideres, quod ad tuum possit conferre proventum, nobisque tuam promereri benevolentiam. Nostrâ itaque utere industria. Vale.

PRIVI-